



Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 6. Formula dispensationis pro Consanguineis vel affinibus, qui ignorantibus gradum prohibitum matrimonium contraxerunt publicationibus in Ecclesia factis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

communicationem, ideo hic à cenfuris absolvuntur. 2. A Latoribus renovandum esse consensum, & matrimonium de novo celebrandum coram Confessario, si fieri potest commodè. 3. Pœnitentes abstinere debere à copula donec per renovationem consensus matrimonium de novo contraxerint.

3. Formula dispensationis faciendæ post datam absolutionem hæc est:

Insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa cognitione in Literis dispensationis, cujus vigore contraxisti, non expressa proveniente, denuo matrimonium cum illa contrahere renovato consensu, & consummare, ac in eo remanere licitè possis & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Pariter eadem auctoritate Apostolica prolem si quam susceperis, & suscepturus sis legitimam esse, & fore decerno, & declaro, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

S. 6.

Formula Dispensationis pro Consanguineis vel affinibus, qui ignorantes gradum prohibitum matrimonium contraxerunt publicationibus in Ecclesia factis.

I. Le-

I. Leander &c.

Discreto Viro Confessario &c, Pro parte Viri
& Mulieris Latorum presentium Nobis oblata
petitio continebat, quod ipsi alias factis procla-
mationibus in Ecclesia fieri solitis, & nullo de-
tecto seu denunciato impedimento, quo minus
possent inter se matrimonium contrahere, illud
publicè in facie Ecclesie contraxerunt, & succes-
sivè consummarunt, deinde secretè resciverunt,
se tertio consanguinitatis seu affinitatis gradu esse
conjunctos, seu se attinere, & forsan in carna-
li copula perseverarunt. Cum autem sicut ea-
dem petitio subjungebat dicti Latores ob impe-
dimentum ex præfato tertio gradu hujusmodi
proveniens, quod occultum remanet, in dicto ma-
trimonio absque Sedis Apostolicæ dispensatione re-
manere nequeunt. Ideo ad evitanda scandala,
quæ si divortium fieret inter eos, verosimiliter
exorirentur, ac pro suæ conscientie quiete cu-
piunt Latores à præmissis, de quibus plurimum
dolent, absolvi, secumque desuper dispensari.
Quare supplicarunt &c. Nos igitur &c. Discre-
tioni tuæ committimus, quatenus, si ita est, di-
ctos Latores, audita prius eorum Sacramentali
Confessione à quibusvis sententiis, censuris, &
pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quo-
modolibet incurrerunt, incestu & excessibus
hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesie
consueta, injuncta pro modo culpe Penitentia
salu-

salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungen-
da. Demum, dummodo impedimentum ex præ-
fato tertio gradu hujusmodi proveniens occultum sit, & separatio inter eos fieri non possit
absque scandalo, aliudque Canonicum non obstet,
cum eisdem Latoribus, quod præmissis non ob-
stantibus, matrimonium inter se, de novo se-
cretè ad evitanda scandala contrahere, & in eo
postmodum remanere licitè valeant, misericordi-
ter dispenses: Prolem susceptam, si qua sit, &
suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro
conscientiæ &c. Ita quod &c. Nullis &c.

2. Notandum hic Confessariis, Pa-
rochis, & locorum Ordinariis in hoc
casu impedimentum, quod occultum
remansit, non facile esse publicandum
per publicam separationem, sed silen-
tio imposito denuntianti, & facta secre-
tè separatione, si sint in mala fide, si
vero in bona fide relinquunt illos in hu-
jusmodi bona fide, & interim scribant
Majori Pœnitentiario, ut mittat facul-
tatem dispensandi super impedimento
illo occulto.

3. Porro Confessarius post datam ab-
solutionem à Censuris & peccatis hac
formâ dispensabit:

*Insuper auctoritate Apostolica mihi
specialiter delegata dispenso tecum su-
per*

per impedimento tertii gradus affinitatis, ut illo non obstante cum tua putata Conjuge, prævia revocatione prioris consensus, matrimonium secretè inter te, & ipsam contrahere, & consummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere licitè valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen.

Et pariter eadem authoritate Apostolica prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam legitimam esse, & fore decerno, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen.

4. Notandum cum dispensatio danda est Mulieri, dicendum est. Cum tuo putato Conjuge, & si sola mulier conficiat impedimenti, ipsi adaptari debet forma. Simili formula datur dispensatio iis, qui matrimonium cum impedimento occulto cognationis spiritualis non detecto in denunciationibus contraxerunt.